

5)

REM,,

PARTES DISTRIBUTA.

ent!

Nequaquam! Deus sic impe-  
rat!  
est quis obstare divino stimulo?  
, et videbis opus Dei proxime.  
em? Resistam? Sed minister im-  
perat!  
ane litabam devotione maxima  
*Consolatae*, quae Regina cordium  
nc ornandam dedit mihi provin-  
[ciam;  
, dixit, fac, salva filios meos!  
ebo semper at paratos milites!  
loc ego fretus tutus adiutorio  
us adgrediar certus victoriae....  
s.  
I prae!

Te seuar.

Sed nescius  
go sum loci. (Tuum Virgo da auxi-  
[lium!)<sup>5</sup>

## SCENA VII.

AMBROSIUS.<sup>6</sup>

m certe rerum nunc saeculum....  
quid possit surgere in proximum?  
i post ianuas auribus  
acerdos ausu profert improbo.  
m iuvenes sint hi nefarii....  
imum numerum).

tra se.  
titur intra se.  
ambo.  
ressus quam alii colloquebantur.

JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

E. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS,

# ALMA ROMA



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET



# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 100.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus  
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

• • •

**Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:**

Alba (cum off. in opp. Canale), Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Arezzo, Arezzano, Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bengasi (in Cyrenaica), CAIRO (in Aegypto), Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, COSTANTINOPOLI (in Turcarum Imperio), Fabriano, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in opp. Centallo), Frascati, Frosinone, GENOVA, Lucca, MALTA, MILANO, Mondovi (cum off. in opp. Carrù), Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI (in Gallia), Pinerolo, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

**NUMMARIAE MENSE ROMANE RATIONES ET NEGOTIA.**

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a)* iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est; *b)* computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro anno 4%, si vinculum erit mensum sex; 4 1/2 %, si mensum duodecim; *c)* parsimoniae foventae sub specie, anno fructu 3.60 %, cum facultate quotidie defendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a)* perscriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; *b)* mutuationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; *c)* in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; *d)* litteras emittit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; *e)* exteros numeros negotiatur eorumque collybum exercet; *f)* fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat; *g)* res administrat tum consociationum, tum privatorum nomine.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

## TORQUATI TASSI

# HIEROSOLYMA LIBERATA

A IOSEPHO TORALDO

OLIM E CONGR. SS. RED. ET CANONICO HONOR. TROPIEN.

E VERSIBUS ITALICIS IN LATINOS CONVERSA

ET A FELICE TORALDO, MARCHIONE,

IOSEPHI NEPOTE, EDITA

Volumen pag. 389 nitido pulcroque charactere impressum

Venit libell. ital. 6

apud eundem Editorem (TROPEA [Catanzaro - Italia])

## EXTERAS CIVITATES:

Arezzo, Arezzano, Bagni di Montecatini,  
gypto, Canelli, Castelnuovo di Garfagnana,  
ZÈ, Fossano (cum off. in opp. Centallo), Fra-  
off. in opp. Carrù), Montblanch (in Hispania),  
torgio, Stena, Tarragona (in Hispania), Tivoli,  
io, Viterbo.

## IONES ET NEGOTIA.

Iomine accipit: a) iuxta quotidianas ta facultate quotidie exigendi usque ; dierum quatuor, lib. 50.000; pro computationibus pariter quotidianis, nsum sex; 4 1/2 %, si mensium duo- 3.60 %, cum facultate quotidie defeb. 300. De maiore vero summa man- septem usque ad lib. 5000; ad dies

optiones compensat duarum personae tres solvendas; idque pro omnibus stium ad formam, iuxta italicam legem ovincia requirentibus subvenit; c) in sub praesidio fundorum publicorum, rivatae; d) litteras emitte ex credito in maxima aguntur; e) exteris num- res in custodiam accipit, pro iisque lat; g) res administrat tum consocia- Nummariae sunt.

ASSI

LIBERATA

ALDO

HONOR. TROPIEN.

CONVERSA

CHIONE,

TA

aractere impressum

itanzaro - Italia]]

## ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺

## BENEDICTO XV

IN DIEM III MENS. SEPTEMBRIS MCMXVIII

QUARTO EXEUNTE ANNO

EX QUO ELECTUS EST PONTIFEX MAXIMUS

—ooo—

*Septimus mensis rediit diesque  
fausta, qua Petri Benedictus haeres  
visus est primum triplici Tiara  
tempora cinctus.*

*Lucis exortae memor, ALMA ROMA,  
i, para carmen; tibi Vaticanas,  
agnito vultu, reserabit ultro  
ianitor aedes.*

*Principis sacri, foribus sub ipsis,  
candidum fulget croceumque Signum;  
tu salutabis reverente nutu  
nobile Velum.*

*Inde per scalas Damasi plateam  
scande, quae magnis nitet a fenestris,  
ac melos fundit, bene cui sonanti  
accinit echo.*

*Lunge te lectis sociam choraulis,  
arte qui multa varioque metro  
auspicem gaudent celebrare solem  
aere canoro.*

*Misceat vox se tua buccinarum  
vocibus. Dices: « Tibi gratulatum,  
Pontifex, veni, placuitque fari  
ore latino.*

*« Nam pios sensus vetus hic Quiritum  
suscitat sermo nitideque reddit,  
quidquid in priscam blaterat loquelam  
iunior aetas.*

*« Vive - sic perges - venerande Mysta,  
sospes et longo fruatur aeo!  
Saepe September revehat decoram  
hanc Tibi lucem!*

*« Martis o tandem furor acquiescat,  
cuncta qui luctu replet ac ruinis!  
Pax et afflictum cito sauciumque  
mulceat orbem! ».*

*Tum, genu flectens, precor, ALMA ROMA,  
hoc tibi poscas sociisque fidis,  
ut tiaratus Pater universis  
fausta preetur.*

FRANC. X. REUSS.

Tibi, Beatissime Pater, qui in summo rerum discrimine strenuus sacri principatus exstisti adsertor, universus terrarum orbis immobilem fidem iam debet profiteri. Tu enim vix regnum auspicatus, inter horrentes armorum strepitus, pacem populis late bellantis humanissime suadens, bonitatis lumine inclaruisti, ita ut omnes populi Te illico restitutorem feliciorum saeculorum possent salutare, illa romana auspicia gratulabundi proferentes:

*I, bone, quo virtus tua te vocat, i pede fausto,  
Grandia latus meritorum praemia!*

Re quidem vera, quot statim de omnibus late populis triumphos reportasti! Ingemiscitibus enim animis ob immane bellum, quo longe lateque tandem Europae viscera lacerantur, in vota, in supplicationes pronus, pacem a Deo atque a potentioribus enixe perpetuis precibus postulare coepisti, ita ut primus et adsiduus auctor pacis fieres, et concordiam inter homines foveres, atrocias illa deprecari non desinens, quae iam tum graviora sentiebas in dies.

Ita simul, Princeps mitissimi ingenii, divinum mansuetudinis Magistrum admodum referens, praeter omnium opinionem, in omnem late orbem terrarum es dominatus. Oh, iure meritoque

*Virtutis verae custos rigidusque satelles,*

dies sacri principatus benefactis in genus humanum collatis computare potes!

Tu enim aequitatem suadendo, initia et causas struis aeternae hominum beatitatis, quando adversariorum verbacula, discordias, pericula, ultiones, excidia portendunt. Tu nihil carius magisque acceptum habuisti quam ut tot laborantibus filiis libertatis suae vindex extares.

Atque etiam magnanimitatem tuam meminisse iuvabit. Quod enim aurum ad fortunam tuam leniendam filii contulerunt, res filiorum adversas sublevando, ulti refudisti ac refundis. Tumque, vel inde ab initio belli, aduentibus anniversariis Iesu Christi Nativitatis festis, ne in communi hominum laetitia, filii, qui captivi versarentur, genium suum defraudarent, iis mirum in modum, Pastores imitatus, suppetias mittere festinasti.

Et innumeri alii alia ratione egregiam bonitatem Tuam experiri meruerunt. Quot matres filios male multatos, immatura sorte abreptos iterum amplexari per Te potuerunt; quot in domos iterum recipere et necessaria quaeque ipsis administrare!

Novissime, misericordiae salutisque nuncium, et Russiae, bellis intestinis adlaboranti, adstitisti, eo prae certis contendens, ut ipsam olim Imperatricem, insano populi furore damnatam, aliquando in securitatem vindicares.

Hinc discant aequales, discant posteri, omnibus temporibus, maximorum Pontificum caritatem in populos tam altis defixam esse radicibus, ut non impiorum voce, non scriptis, non irrisione, non minis queat labefactari.

Hanc Tibi igitur, Pater, denique precem deferimus, ut, Te suffragante, aequus admissorum vindex, Deus, requiem curarum et laborum humano generi tandem afferat. Quare animis nova spe recreatis petimus et Augustam Matrem ambimus, ut ipsa Tibi, Benedicte XV, virtutis eius praecogniti, optatae pacis tranquillitatisque donum attribuat, universae reipublicae christiane profuturum.

### De dupli rerum ordine ex quo existentia Dei colligitur.

Per celebris et vulgata est ordinis definitio, quam tradit S. Augustinus: « Parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio ».<sup>1</sup> Duo itaque importat ordo: 1) multiplicitatem seu diversitatem, *parium dispariumque rerum*; 2) unitatem, quatenus res illae multiplices et diversae in unum coēant, singulae in proprio gradu consistant, et omnes ad aliiquid commune conspirent: *sua cuique loca tribuens dispositio*.

Duplex autem in mundo deprehenditur ordo, inclinatio nimirum et tendentia uniuscuiusque rei in proprium finem, et mirabilis consensio rerum omnium in unum finem omnibus communem; uterque evincit existere Causam primam, ac summum Intelligentem, quem dicemus DEUM.

\* \*

Experientia teste, comperimus plura quae cognitione carent, in suum finem, non casu aut fortuito, sed ordine quodam infallibili tendere ac se ciere. In rebus quippe naturalibus inorganicis comprehendimus proclivitatem internam, qua res in unitate consistit, simulque proprietates constantes ac permanentes, eumdemque typum specificum, qui est praesertim in crystallis conspicuus: nam, si crystallus angulos habeat casu laesos aut fractos, statim mirabiliterque illos reparat. In plantis perfectior viget proclivitas, quae omnia ad conservationem et bonum totius plantae dirigit et plantam in unitatem adgit, non obstante materiae varietate et fluxu. In animalibus constructio eluet mire compacta, in qua unum organum alteri inseritur, et omnia simul concurrunt ad finem optimum, sive individui, sive speciei con-

servationem.<sup>2</sup> In homine perfectissima concinit harmonia, iuxta fixas constantesque leges, quas invicta ostendit sanguinis in totum corpus diffusio; nam globuli sanguinis ita multiplicantur ut, si singuli post singulos ordine continuo reponerentur, pluries circulum orbis terrae conficerent, et omnes nihilosecius proprium munus ea ratione obeant, ut sanguis debilior aut vegetior exsistat prout globuli rubei deficit aut abundant. Pariter sistema nervosum dispositionem egregiam arguit, qua partibus partes inserviant et ad bonum totius se sibi invicem submittant.

Iamvero, quae casu et temere fiunt non possunt ea fixa lege et in eo specifico typo consistere. Evincit calculus probabilitatum ordinatam litterarum dispositionem, quae vocabulum et phrasim efformet non posse a casu repeti.<sup>2</sup> Quod certo certius est quum agitur de toto libro aut de ingenti et exquisito poëmate, ut *Iliade*, *Aeneide*, *Divina Comœdia*. Ordo porro totius universi est sane illa litterarum dispositione mirabilior et implicatior; ac subinde non casui est adscribendus, sed causae primae, universum regenti, quae sit sapientissimo intellectu et efficacissima voluntate praedita.

\* \*

Alter in universo relucet ordo, quo res mundanae sibi invicem consariantur, non

<sup>1</sup> Legantur diversa opera quae scripsit H. FABRE, *De miris animalium moribus et operibus*.

<sup>2</sup> Supposons que vous trouviez dix lettres formant le mot ABSOLUMENT. Ici vous n'hésitez plus et vous affirmez sans crainte que l'auteur de cette juxtaposition savait lire et a voulu former le mot français que vous lisez... Le calcul montre qu'il y a 3628800 à parier contre 1 en faveur de votre conclusion... Il a suffi d'augmenter un peu le nombre des lettres qui forment le mot remarquable pour passer d'une probabilité ordinaire à une conclusion pratique (Dr Poisson, *Recherches sur la probabilité des jugements en matière criminelle et en matière civile*, apud P. CARBONELLE, *Les confins de la science*, t. II, IX). Certitudi porro evadit absoluta dum phrasis vera resultat.

obstante earum prope infinita varietate, et in communem finem se cident. Ordo quidem qui per causas efficienes praestituitur, dicitur ordo *dynamicus*. Eo nexus corpora se mutuo contingunt et attrahunt, vimque suam alia in alia vicissim exserunt, promolis et distantiae quantitate; et similiiter res externae in nostros sensus agunt et nos in illas iterum agimus, sollertia scilicet ac industria nostra illas movendo et altius evehendo. Unde superiora et inferiora ita sunt censita et disposita, ut superiora cognoscant vel immutent, inferiora vero cognoscantur vel immutentur; ex qua mutua actione vel passione resultat orbis harmonia. Ordo autem, qui ex causis finalibus attenditur, nuncupatur ordo *teleologicus*: quo nexus mineralia ad alenda vegetalia, ipsaque vegetalia ad nutrienda animalia conspirant. Ex utroque porro ordine conficitur generalis concentus, species et decor totius universi, pariturque illa exigua unitas, quae potest unitati viventis comparari, in qua nempe singulae partes in coronam et bonum totius vergunt.<sup>1</sup>

Nisi autem existeret ordinator, sapientissimo intellectu et efficacissima voluntate praeditus, nulla esset tanti effectus causa. Quum enim ordo sit apta dispositio medium in finem, nonnisi ab eo repeti potest, qui finem et media per intellectum novit, et per voluntatem valet media executioni mandare.

Haec est igitur arguendi vis, quae ex varietate ordinata concludit ad unum ordinatorem, quaeque ex multiplici ordine assurgit ad primum Intelligentem primumque Sapientem, quem DEUM vocant omnes, qui sit etiam Bonum omnis boni, quem debeant omnes sine modo deligere.<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Cf. S. THOM., I P., q. LXV, a. u.

<sup>2</sup> *Modus diligendi Deum est sine modo diligere*, ut explicat S. BERNARDUS, *de diligendo Deo*, c. I, P. L. CLXXXII, 974.

Liceat ergo cum Boetio exclamare:  
*O qui perpetua mundum ratione gubernas,  
Terrarum caelique sator, qui tempus ab aeo  
Ire tubes, stabilisque manens das cuncta moveri!*

EDUARDUS HUGON, O. P.

<sup>1</sup> BOETIUS, *De Consolatione philosophiae*, lib. III, metr. IX: P. L., LXIII, 750.

## I. V. GRAVINA

SUO ET NOSTRO TEMPORE

LATINITATIS ADSERTOR ET VINDEX<sup>1</sup>

Quae sidera Gravinae tempore latinitas pateretur, pluribus ex eius scriptis recollere licet. In litteris enim ad I. Gabrielem Reginerium *de conversione doctrinarum*, conquestus quod nativus Romani oris sonus fuerit ab importuna peregrinate fugatus: « Implicant - clamat - annos nostros vulgares Grammatici nodis suis adeo tenaciter simul ac infeliciter, ut, quum totam pubertatem sub his tortoribus traduxerimus, scribentibus deinde nobis, nihil tam familiare sit quam soloecismus. E quibus laqueis quum evolaverimus, credasne nos in naturalem libertatem receptum iri? Imo tum in maiores plagas incidimus, quum per tenebris ocam illam Gothicis moris sapientiam procellam mentium, scopulum veritatis ac errorum turbinem, circumagimur... Imaginem Romanensis eloquii studiosis et peregrinis omnibus esse voluerunt. Scitos arbitros!... En Roma aediles tuos! En Varrones nostros et Nigidios, quibus non alia conditio proberis, quam si vitam impuram cum impura dictione coniunxeris! ».

Ex illa igitur stulta ditione a nativo Romano sensu atque historica, ut ita di-

<sup>1</sup> Cfr. num. sup.

cam, doctrina ad peregrinorum, imo barbarorum docendi rationes, tanta iactura primum repetenda, quae vel ab studiorum initio tyrones afficiebat... et afficit adhuc. Quibus consiliis praeceptrores adhaerendo, - (o quam facile hīc redit in mentem Mommisenii illud posterius monitum: Nos Germanici grammaticae, Italici alumni latine scribunt!) - nihil magis laborant quam ut augeant docendo difficultates, quas in latinam linguam invexerunt multitudine atque involucris regularum, quibus addiscendis absumitur tempus longe utilius atque iucundius, in vocabulorum explicazione ac bonorum auctorum interpretatione traducendum. « Etenim praeceptis magis ad scribendum quam ad intelligentum utimur: stultum est autem irretire praeceptis ignorantem adhuc vocabulorum sensum et usum, qui legendis tantum arripitur explicandisque scriptoribus. Quorum consuetudine nos nec opinantes regulam lucem animo concipimus; quas in regulas deinde stilus etiam incurrit ipse per se, more illorum, qui non arte, sed natura loquuntur; quum ex naturali locutione regulae, quas discimus, collectae initio fuerint. Verum quia sola consuetudo non arcit errorum periculum, nisi praesto sit ratio, quae usui tribuat auctoritatem, regatque certa cognitione stilum scribentis; ideo postquam peritior aliquanto qui explicandis auctoris evaserit, si se ad scribendum conferet, opus certis habebit, quibus ducatur, legibus, ut, si quando imprudenter ab auctorum consuetudine aberaverit, memoria praeceptorum revocetur. Est enim difficile continere animo exempla singula: ideo ex pluribus industria conductis communis quaedam fuit et evocanda ratio, quae peperit regulam formamque perpetuo haerentem animo cogitationesque nostram dirigentem, quae nobis adsit ubi exempla destituant. Quocirca tum paucas oportet esse regulas, tum etiam uberes lateque profusas, ne ab exilitate multiplicen-

tur, ut iis retinendis minime sufficiamus, aut nimio studio eas conservare cogamur, distrahamurque ab assidua lectione veterum, itaque revolvamur ad plurium exemplorum difficultatem, cui vitanda regulas invenerunt ».<sup>1</sup> Quin etiam praeceptorum atque exceptionum copia « regulam adeo extenuat, ut inutile fuerit redegisse in regulam quod tot exceptionum erat exhaustum; quod accidit quum paucis exemplis regulae concluduntur: tum enim ex exemplis contrariis atque de regula exclusis oriuntur exceptions. Unde quo sunt angustiora praecepta, eo magis et praecepta et exceptions increbescunt, perinde atque hydra secetur. Quamobrem eos utiliores putaverim regulas et commodiores, quae minores numeri quidem sint, complexu vero latiores, a quibus quam minimum carpat exceptio ».<sup>2</sup>

Atqui exitiale istum errorem, in quem tam acriter nec, sine causa, tela intorquet Gravina, nedum deletum atque exceptum, longe lateque manasse vidimus usque ad nostros dies, ita ut haud facile iam invenias alumnum, qui non solum latine scribat, sed ad latinitatis studium quum accessisset, in eo lubenti prolixo que animo perseveret. Quousque tandem?...

\* \*

Sarta tamen tectaque latinitatis studia an apud eos saltem fuere, qui imperatricem Aliae Romae traditionem per saecula servarunt, lucemque veritatis, per Christi doctrinam, latina lingua et eloquio per universum orbem effuderunt?

Scribit ad rem noster:<sup>3</sup> « Quod bellum a Iuliano Caesare Christiano populo consulto ac fraudulenter movebatur, idem nunc imprudenter atque ignoranter suscitatum

<sup>1</sup> *Oratio de instauratione studiorum*, ad Clemensem XI P. M.

<sup>2</sup> Ibidem.

<sup>3</sup> *De foedere pietatis et doctrinae*. *Oratio ad suos Gratianei decreti Auditores*.

praeter suam et omnium opinionem videmus ab indoctis quibusdam simulatoribus novae pietatis... Quippe Julianus non securi aut gladio, quibus ira priores hostes Christianorum armaverat, sed ignorantia et caligine ingeniorum Christianam sapientiam obruere cursumque Religionis nostrae revocare nitebatur clausis Christianorum scholis aversisque procul ab Ecclesia praemiis et honoribus litterarum.

« Norat enim ille Apostolos, etsi humana eloquentia profanisque scientiis expertes, tamen suscepisse demissam sibi e caelo aeternam sapientiam, divinamque facundiam, qua Evangelicae veritati pectora mortalium aperirent; eosdemque terris cedentes, Christique sinum adeuntes reliquise posteris imitationem pietatis sermonisque caelestis, quem veteres Patres, Apostolorum successores, alebant Graecorum et Latinorum selectioribus, et purioribus litteris, quibus Christiana doctrina illorum in ore coruscans, falsaque Religionis tenebras discutiens, populos nationesque integras, exiguo tempore, sub Christi signa transduxerat ». Erat igitur ei consilium, ut his facultatibus et artibus ademptis, opem etiam ac facultatem religionis latius diutiusque fundendae nostris auferret. « Nunc non quidem consilio, verum inscitia nostra, eodem prope quo Julianus tendebat exitu, nova haec professio pietatis persequitur litteras, atque insectetur ubique artes illas, quarum iacturam tantopere veteres Ecclesiarum Antistites pertimescebant, quibusque retinendis humana divinaque omnia contra Juliani calliditatem commemorant, non antea libris et concionibus quiescentes, quam Juliani morte studiorum libertatem recuperarint. Enim vero hi nostri veterum Patrum, quales se nobis ferunt, imitatores, non erubescunt contra morem illorum, quos voce habituque imitantur, abducere adolescentes a studiis Graecarum et Latinarum litterarum tanquam profanis et indignis religione illa,

quam eaedem litterae sub divinitatis auspicio tamdiu educarunt. Unde et Platonicam doctrinam, scholarum olim Christianorum magistrum, quum videant nostris temporibus revirescentem, ac multis post saeculis remigrantem, excludunt ab animis studiosorum, quibus non alienam scientiam proponunt, nisi cuius et imbecillimi quique ipsorum similes fuerint compotes et doctores idonei, cuiusque auctoritatem insidiis et calumniis contra eruditorum cachinnos et ludibria munierunt ». Atqui nec poëtarum ipsorum utilitates minime contempserunt veteres Ecclesiae Patres, ex quibus « Chrysostomus, et Hieronymus, alter Aristophanem, alter delicias meas Plautum pulvinari suo subiiciebant, ut ex his leporum illum atque facundiam, quam scriptis suis reddiderunt, assidue haurirent, indeque sagittas illas eloquentiae peterent, quibus Christianorum hostes configerentur. His facultatibus destituuntur nostri adolescentes, dum avelluntur ab optimis poëtis ». Ita factum est ut « facultates omnes artesque cultiores a nobis legitimis olim possessoribus, imo et auctoribus earum, ad hostes transierint, a quibus nostris telis nostrisque inventis appetimur, atque mari terraque obsidemur; neque classibus tantum, et exercitibus, et re militari oppugnamur; sed et peritia litterarum, quibus, post militares opes eversas, barbarorum tamen vires adhuc implicuimus, prudenter eos atque doctrina subigentes ingeniique opibus; quae nunc eripiuntur nobis ab ambitione imperitorum ».

O triste latinae linguae fatum, « cuius ministerio patrum nostrorum sensus adhuc dominatur nationibus, per quam linguam sonum et notam consularis imperii ad gentes mittimus universas, quarum societatem atque commercium, eiusdem sermonis nexus contraximus et retinemus! Quibus armis imperantis huius linguae maiestas barbararum vocum foedam impressionem excluderet, vitamque suam


proficeret in aeternitatem, nisi sacris Pontificiis suscipiendis atque tractandis eorum immortalitatem participaret? ».

Equidem huiusmodi verba nostris hisce diebus scripta dixeris, quibus ad amussim quadrant! Ecquis enim, ne alia attingamus, enarrare poterit quantum latinae linguae studium neglectum, eiusdemque ignorantia, contulerit summae illi errorum de divina atque humana doctrina augendae, quae *modernismi* nomine audiit, nostri temporis pestis? Quam profecto vel animos bona fide praeditos imbuisse concedendum est, quum paullisper consideraveris, eos ex auctorum versionibus in vernaculae linguas scientiam suam derivasse, nec minime genuinos fontes, sibi neque exploratos neque intelligibiles, adire potuisse, unde puram aquam haurirent; illum scilicet et ipsissimum sermonem, quem nemini proprio atque intimo sensu integraque vi sua aliter reddere licet.

Hic autem nova incidit quaestio, quam pariter Gravina animose aggressus est, atque latinitatis fautoribus etiam nunc, Athenas noctuas afferendo, aequales nostri saepe obiiciunt; nos vero, ne longiores hodie simus, ad alium numerum delegamus. Neve in hac re grave lectoribus sit immorari. Quorum enim causa - noster idem admonebat - <sup>1</sup> nobis tantopere insidiantur, eo maiori virtute munire debemus; quod summo cum periculo possessoris amittitur quidquid summa cum invidia possidetur.

#### ROMANUS.

<sup>1</sup> In fine eiusdem orationis *De foedere etc.*



*Magis optabo a quolibet reprehendi, quam ab adulante laudari. Nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis; laudator vero errat et confirmat errorem.*

S. AUGUSTINUS, *De Trinit.*, IX.

## DE ROMANA DOMO PRISCA ET RECENTIORI

### II.

Aliquot modo saeculis post conditam Urbem, Romani atrio addidere *vestibulum*. Sunt qui dicant hoc vocabulo locum illum significari *qui stat ante*. Huic hinc inde nova atria adiuncta sunt, quae partim *cellae* erant, partim *cavaedium*, quasi *cavum aedium*. Hic plerumque servi stabant; postea vero clientes. Porticus quoque tectae erant, vel laqueatae.

In ipso vestibulo clare ac perspicue legabantur celebria illa verba: *Cave Canem!* Optime norunt omnes quid sibi velint haec notissima verba. Ne quis vel fidissimus confidentius ad aedes penetraret solus, et ad fures potissimum depellendos, hic, ante vestibulum, stabat canis ferrea interdu catena devinctus ad fines custodiendas.

Hic ianua erat, et mox ostium. Hinc *stare ad ostium*, pulsare; hinc *ostium obserare* idem est atque claudere; quae passim in scriptoribus leguntur; et *restringare*, seu aperire. Ad portas erat marculus vel malleus, quem morem et nos quandoque sequimur. Porta vero quae antea stabant, *antica* vocabatur; *postica* quae retro.

Multis saeculis post, capta Corintho, eius cives, ne in patria undique diruta atque deleta permanerent, veluti uno agmine facto, in Urbem queritantes patriam, magna confidentia emigrarunt. Huc enim statuas contulerunt victores, huc pulcherimis tabulas, quibus Romam condecorarunt. Hinc factum est, ut et Romani, Graecorum morem secuti, aedes sibi ampliores atque in meliorem formam redactas, novoque apparatu condere coepirint. Graecorum artificum ingenio praescriptoque, mox et Romani magnificas sibi domos commodioresque aedificarunt, ut longe lateque otium tot victoriis saepe conquisitum bonumque gauderent. Illuc amici sub vespe-

rum identidem animique causa numerosi conveniebant, illuc quoque,

*Nescio qua praeter solitum dulcedine capti, et philosophi et poëtae, et quotquot essent in Urbe docti atque intelligentis consilii viri, atque, honoris gratia, opportunitatem nacti, et illi adibant, qui clientes nominarentur. Haud deerant parasiti, qui alacres in atrio saepe morantes, argute atque mirum in modum Domini magnificentiam laudabant, adulatoria ratione, et meliorem frugem sibi otiose conquirebant.*

Namque, transacto atrio, aderat, loco commodiori atque obvio, cella ampla plerumque ac ditissime ornata, cui erat nomen *tablinum*, cui nulla fuit determinata dispositio. Sic enim nos facile intelligere possumus ex multis quae in Pompeianis ruderibus inventa sunt.

Haud ita longe in modico conclavi servi ad plurima custodiebantur.

Interea patricii, ut domos securius ab civium strepitu sibi struerent, consilium inierunt, novas plerumque accessiones post tablinum aedicare. Quo facto hinc inde fecerunt *armaria, oecos, exedras et in ultimum pinacothecam*.

Hic erat *culina*, hic et *lararium*. Nam veteres illi fortissimi viri semper prae ceteris cultum deorum in deliciis habebant, eisque primas in omnibus referebant.

Lar autem familiaris fuit omnium deorum carissimus, eumque maxima religione colere, aedium patronum salutare ac sacrificiis quotidie cumulare, eique magnas semper gratias agere, maioresque habere.

Quo vero facilius possis mente quodammodo magnificentiam arguere, quam luxuriose Romani in aedibus construendis pecuniam profundere consuevissent, iuverit historicorum narrationes atque poëtarum carmina in luxum irruentia perlegere.

Atque tamen vel bona reipublicae et Caesarum aetate, quae erat pauperum habitatio? Horatius quum eleganter, more suo, dicere vellet omnes eodem cogi, cecin<sup>i</sup>

pallidam mortem aequo pulsare pede *pauperum tabernas regumque turre*s. In Urbe enim tunicatus popellus tabernas semper habebat, vel tuguria.

Sed quotquot illuc se conferebant ex provinciis, sive Romae commodis allecti et novarum rerum fortunae cupidi, sive magnorum civium tutela suffulti, historici essent aut doctores, philosophi aut poëtae, privatorum domus amplas incolebant; qui thesauris ad illas ornandas saepe effusis, ex integro saepe maioresque fructus e maximo locationis pretio capiebant. Quae enim locatorum vexatio; quae p<sup>r</sup>ae omnibus rebus in homines perversitas, dummodo abundantem pecuniam perciperent! Hae autem domus *insulae* vulgo advocabantur, atque ut quamplures inquilinos acciperent, in immensum auctae, complures scalas seu tabulata habebant. Adest Romae in aedibus Capitolinis, marmore confecta, unius huiusmodi insularum descripta imago, imperante Septimio Severo constructa. Ipsa vox *fauces*, pro ingressu, optime monet quam frequens esset in troeuntium multitudo.

Ne tamen inanis videatur ac plane otiosa haec nostra Romanorum aedium descrip<sup>tio</sup>, velim, candide lector, animo aliquantis per adsurgas, ac divinae mentis sapientiam mecum admireris, quae ex tot rerum humanarum turpiter fastigiis ac plerumque tot victorum sanguine deturpatis, egregiam sane operam retulit.

Constat enim apud omnes, Pudentem, virum senatorium clarissimum, quem pri-<sup>1</sup>um ab Apostolo Petro ad veritatem Christianae sapientiae fuit adductus, domum quam in Esquiliis ditissimam haberet, libentissime in Dei honorem convertisse. Sic primam sibi Deus in Urbe aedem parabat, et, quod caput est, uti omnes facile inter se docti convenient, quae formam illam adseravit, quam sacro nomine *basilicam* appellamus. Quod quidem in posterum exemplum eluxit.

Haud ita multo post inclytae sanctae Ceciliae aedes, tam decorae atque amplae, uti nobilem addebet, ab ipsa, moritura, Christianis designatae, nullo quasi labore, solemne post eius martyrium in templum Dei redactae, honori atque memoriae eius nuper fuerunt instauratae. Quae novissime, ruderibus effossis, temporis squallore ac barbarorum incursionibus in eius templum impositis, adparuerunt, antiquum aedium splendorem ac magnificentiam insigniter confirmarunt. Quae quum ita sint, iam hoc declarari posse confidimus, vel ab illo tempore splendidiora tempora Deo sacra in Urbe exstisset, quae ob amplitudinem, elegantiam ac religionem effulgerent; et priusquam Christiani, persecutorum timore, ad Martyrum sepulcra se abderent, Deum hisce in aedibus magnificentissime coli. Sic Roma, vere sacrarum rerum magistra, tamquam Dei templum apud omnes late gentes iam inde in exemplum apparuit. Itaque quod de Urbe antiqua, quae populos sibi domitos in servitatem adduxit, Propertius cecinit, melius nobis iure meritoque de Roma Christiana, quae omnibus gentibus dat leges rite volentibus, repete licet:

*Omnia Romanae cedunt miracula terrae!  
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes  
Stamus: vicitrices temperat illa manus.*

SENIOR.

## VETERA ET NOVA

### De navibus in profundo mari navigantibus.

Post Fournierii Fabrique de subaquea navigatione cogitata, quae alias retulimus,<sup>1</sup> scripta alia nulla circa hoc argumentum

<sup>1</sup> Cfr. huius anni fasc. IV, p. 58.

per saeculum invenimus: unice memora-  
tur Gallicus vir quidam - (an De Son?) -  
qui anno circiter MDCL Roterodami navem  
satis amplam ad rem exstruxit, quae, rota  
centrali acta, in profundum demergi pos-  
set; sed ne periculum quidem navigatio-  
nis experta fuisse videtur.

Anno vero MDCCXLVIII poëmatione pro-  
digibat versibus latinis eleganter conscrip-  
tum, cui titulus *Navis aëria*, auctore Bernar-  
do Zamagna. in archigymnasio Collegii  
Romani rhetorices doctore; in cuius li-  
bro II ab argumento, ut alibi, discedens,  
quo scientiam universam pro re nata belle  
attingeret, submarinam lintrem depingit,  
sese ad experimenta referens in Tamesi  
flumine iam pridem coram Henrico VIII  
rege peracta. Iuvat eosdem versus referre;  
qui novum praebent testimonium omni  
tempore fuisse argumenta omnis generis,  
latine, et quidem proprie ac diserte ex-  
pressa; eaque nec soluta tantum oratione,  
sed numeris adstricta.

En igitur Zamagnae carmen, in quo  
etiam oracula fusa dixeris de terribilibus  
illis navium tum sub aqua tum in aëre  
navigantium gestis, quorum miseri hodie  
nos adsumus testes:

Praeterea, magnam lymphis ingentibus urbem  
Qua Tamesis lambit, multi voluere per artem  
Institui sic posse rates, ut subter aquarum  
Per liquidos mediae fluctus, infraque supraque  
Circumfusae undis narent; ceu grandia Protei  
Armenia atque alia immensi vaga monstra

[profundi.

Nec vero pugnax ausim contendere contra,  
Ut solet ignarum vulgi genus, omnia falsa  
Qui credit, quaecumque sibi miranda vi-

[dentur

Arduaque: ante animo multarum foedera  
[rerum

Vestiganda acri, tum quid vel possit oriri  
Vel nequeat, dicendum: alter de tramite  
[recto

Judicii abripiet praeceps te saepius error,

Nam quid obest, fieri tanto ne pondere cymba  
Possit, uti quantum subiectis tollitur, illis  
Quae super incumbunt, tantum mergatur ab  
[undis?]

Tunc non illa quidem fundum descendet ad  
[imum]

Suppositis instans lymphis, non gurgitis alti  
Summa patet, laticis supera depressa liquentis  
Parte alia: sese certa sed sistet aquarum  
Sub regione, aequis hinc atque hinc viribus

[acta,  
Ac pariter suspensa, velut diversa quadrigae  
Quum geminae in spatia addunt se et disce-  
dere tentant.

Magna hinc utilitas. magnum navalibus esset  
Auxilium pugnis: et quantum bella iuvarent  
Aëriae classes; medias tantum ipsa per undas  
Navigia haud viso venientia tramite, et armis  
Improvisa imi de sede furentia Nerei.

Atque euidem haud dubitem, quin haec quo-  
[que dira per artem

Damnaque et immanes ad mutua funera  
[clades,

Tantus amor caedis mortalia pectora tentent.  
Ne vero, ne talem animis adsuescite pugnam,  
Spicula neu properae nimium nova quererite  
[morti!]

Mille patent lethi caussae! Satis in mala nostra  
Vertimus ingenium: rigidos conflavimus aera  
In gladios hastasque et acuta cuspide tela;  
Unde unci melius vomis formatur aratri,  
Plaustraque eleusinae matris, cerealia dona.  
Ignem etiam vafri subductum fraude Prom-  
[thei

Innumeros vitae munus mortalibus ad usus  
Perdimus in caedes; cuius vi plumbea grando  
Terrifico iaculata sono late agmina sternit,  
Sternit equos: altas et fundo diruit arces,  
Quin homines contra, quin ars obsistere possit.  
Vita fuit certe potior, quum sanguine non-  
[dum]

Immaduit nostro tellus, non fluminis alvei  
Purpureis rubuere undis; nec noverat ullus  
Arma, nisi inverso cererem queis conderet  
[arvo,

Fissile vel robur vel celsam excinderet ulmum,

Vitigenam aut premeret frondem; nunc vivi-  
[dus artes

Extudit innumeros usus; sed et omnia regna  
Vipereis crines Alecto impexa colubris,  
Non mare, non linquens terras, hostilia ad

[arma  
Exciit, ac manu furiarum involvit in aestu  
Bella necemque ferens, et tristia semina cladis.

\*\*

Anno MDCCLXXIII Bushnell, Septentrionalis Americae incola, *submarin-boat* suum exstruxit, quod ad belli usum prae-  
cipue adhiberetur. Mole exiguum, ita ut  
hominem unum accipere posset, in supe-  
riore parte parvum tholum eminentem exhibebat, quae et aditum naviculae prae-  
beret et speculatoriam turrim constitueret, unde horizon exploraretur, quum aquae  
superficiem rates lamberet. Valvulae pede  
actae sinebant ut aqua in inferiorem na-  
vigii partem efflueret, quum ipsum nauta  
vellet submergere: aqua autem per pneu-  
maticum tubum hauriebatur, quum navigium  
esset subducendum. Propulsionis vis  
per cochleam horizontalem, ad nautae manus  
positam, fiebat; cochlea altera, eaque  
verticalis, immersionis mutationes efficie-  
bat, quum navis sub aqua ad aequipon-  
dium esset adducta. Interior denique aer  
renovabatur super aquam revrehendo na-  
vigium.

Quaenam autem ratio hostilem ever-  
tendi navem? Simplex profecto. Scilicet  
pyloclastrum in eius carinam affigendo;  
quod quidem nauta, manus in coriaceos  
sacculos, quos e navicula emittere licebat,  
imergens, perficere poterat.

At vero quum Bushnellianum navigium  
periculum subiit, inanis inventoris labor  
et opera apparuit.

Melius Fultonus operatus est; qui pri-  
mus in submarina navi sua, cui *Nautilus*  
nomen imposuit, compresso aëre ad sub-  
aqueam navigationem est usus. Post expe-  
rimenta in Americis tentata, Lutetiam Pa-

risiorum venit an. MDCCXCVII, ibique auxilia  
ad ratem suam construendam obtinuit,  
quacum in mare descendit, ibique mansit  
horas quattuor et momenta viginti. Quum  
vero navis in profundo mari nulla fere  
velocitate polleret, Fulton Nautilus sua  
sorti est a Gallico gubernio derelictus.

Res tamen bellico illi Napoleonis in-  
genio haud arridere nequibat; qui anno  
MDCCCIX submarinae navigationis studia  
resumenda curavit, quemadmodum pro-  
xime, si placuerit, videbimus.

I. F.



## HYGIENICAE NOTAE

### Quomodo et quamdiu est dormiendum.

Ut argumentum absolvam, quod ob  
spatii angustias alias imperfectum reliqui,  
quaeram in primis: Quid est somnus? Ipse  
est omnium spiritus corporisque actionum  
cessatio. Vulgo saepe appellatur quotidianae  
vitae dulcis oblivio; post laborem  
est suavius animorum moestorum balsamum;  
est, uno verbo, ut humano fruar  
eloquio, in vitae mensa alimentum omnium  
pretiosissimum. At istum minime tibi

*Siculae dapes dulcem  
elaborabunt soporem!*

Iuvat hīc dicere tria potissimum somni  
genera recenseri.

Est primus somnus naturalis, secun-  
dus somnus pathologicus, quem doctores  
appellant; tertius est somnus artificialis,  
quem somnifera quaedam medicamina ali-  
quando producunt.

Hisce positis, omnia in homine in sua  
tempora et citra normam fidelissime acci-  
dunt. Namque, ut ipsi videtis, artificum  
machinae, post certum operum spatium,

<sup>1</sup> Cfr. huius anni fasc. V.

quietem exigunt, idque iuxta ipsum ope-  
rarum modum. Si enim labor nimius est,  
si singula nostrorum corporum membra  
sunt immoderate exercita, tunc subito  
morbi adstant; namque musculi miserum  
in modum debilitantur, cerebrumque in-  
flammatur. Atque adeo si mens intenso  
nimium labore gravatur, aestuatur illico  
atque acri incitamento, febris magnis  
gravioribusque laborat.

Quot enim vero, composito veluti for-  
miduloso agmine, nostris temporibus, ho-  
minum genus nimis desatigatum undique  
torquent atque molestant!

Et *nevrasenia* est pessima illa lues,  
quae magnam hominum partem affligit et  
miserrime vexat.

Quies itaque ab omni opere in primis  
animique relaxatio identidem est quae-  
renda, ne spiritus, improbo labore pres-  
sus, quid detrimenti patiatur. Et vos, agri-  
colae, hoc meum consilium, naturam do-  
centem secuti, optime scitis vicibus « al-  
ternis etiam tonsas cessare novales! »

Vae praesertim pueris, qui, si nimio  
ingenio pollentes, imprudenter se se ge-  
rant! Citissime fato cedunt.

Somnus enim est ita homini necessa-  
rius, ut fames et sitis! Nil mirum equidem,  
si crudeli huiusmodi ratione, penes aliquot  
gentes, captivi pleterentur. Romani hoc  
suppicio Perseum, Macedonum regem  
multarunt; et Carthaginenses, ita Regu-  
lum vexarunt, et abrasio eius palpebris,  
ne dormiret prohibuerunt.

Cura autem ut quiescas ante medianam  
noctem! Optimus est ita somnus, magisque  
iuvat, quam si diutius post lucem soporem  
producas. Celebre enim est illud Baconi  
consilium: Noctes insomnes vitam dimi-  
diant.

Bonum est si dormias ad dexteram  
versus... Medicus etiam qui vixit centum  
et novem annos, dicere solebat: Ista ego  
longaevitate fruor, quod ad septentrionem  
caput ponere in more habui, pedes vero

ad meridiem. Ita enim, aiebat, magneticae vires potius vitam oblectant atque fovent.

Ipsa corporis positio, inter quietem; diversa somniorum genera producere fertur. Voluptuosa enim erunt, si resupino vultu iaces; sapientiora si sinistrorum cubas, inepta si e contrario.

\*\*

Quamdiu quiescere debeamus, haud ita facile dici potest. Alii alia e more protulerunt; eorumque effata uti uberrimam salutis fontem undequaque sanxerunt. Nostra vero celeberrima salernitana schola omnibus somnum in octo horas statuit, nulla aetatis habita ratione.

Tempus et ipsa prudentia me monet ut hisce de quiete verbis finem aliquem imponam.

Profecturus itaque vobis omnibus iucundissime augor ut in posterum, Deo favente, feliciter quiescere possitis, et cunctis vitae infortuniis longe ablegatis, in terris, quoad fieri poterit, vitam beatam rebus in secundis transigere.

Quum vos ita esse neverim, laetus prot muneribus, vobis omnia fausta precatus, vel fato cedens, dicerem:

*O mihi tum quam molliter ossa quiescant!*

FR. ANACESI.

## EX BATAVIA

Certamen poëticum ex legato Hoeufftiano in annum MCMXVIII indictum.

Serius quam ut in superiore numero edere possemus, delatus nobis est prospectus certaminis poëtici ex legato Hoeufftiano ab academia regia Nederlandica hoc anno indicti. Est autem prouti sequitur:

« Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus ut carmina la-

tina, non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta, sumptu suo ante Kalendas Ianuarias anni proximi MCMXIX preferenda curent ad Het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poëtae in describendo portabilem prelum Britannicum (*type-writer*) adhibebunt, et si, quemadmodum in *editionibus* poëtarum latinorum fieri solet, inde a vs. 5 sextum quemque versum numero ornabunt.

« Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur, eique subiungentur alia laude ornata, quando scidulae aperiendae venia dabitur a poëtis. Hoc ante Kalendas Iulias fieri debebit; et tum quoque tabellarii nostrates sic sunt edocendi: *Aan het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam.*

« Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Aprili pronuntiabitur; quo facto scidulae carminibus non probatis additae vulcano tradentur.

« P. D. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE  
« *Ordinis Praeses».*

## SCRIPTURÆ DIURNÆ SPICILEGIUM

I.

Canit bucina, in nave militari, sicrae.

Classiariis nobis refertur, sodales quoque exercitus terrestris in potionem adhibere siceram (*grog*), ritu sed profano atque paganico. Fortes et generosi utut sunt illi (nec eorum virtutem, laudandam

cedimus ulli), frigidi sunt in hoc tractando igneo liquore, quem nos « Nelsonii sanguinem » et « Bullientem » vocamus.

Nec ritus habent, quum sicera illa tradatur non secus ac si esset cerevisia, sive (quod horrent classiarii) aqua fontana.

Contra, apud nos lauta est et exquisita sicrae dispertiendae caeremonia, quae totius diei cardinem signat atque apicem. Antemeridiana septies tinniente custodia, tercis contuberniis, immaculato ponte, quum prompta ad coenam sunt omnia, tunc bucinae subitus venit sonor, desinens in clarum, volucre et festivum melos: sicerae haec bucina canit.

Summo stat diribitorio crater ingens, e saccharo plenus sicrae, cum aqua immutabili ea proportione mixtae, quam facit unum ad tria collatum. Convenere circum craterem, quum diei praepositus maior minorque, tum « Jack Dusty », i. e. Iacobus Pulverulentus (promus scilicet), « Jimmy Bungo », Iacobus ab Obturamentis (cuparius), et Optio Classiariorum (ubique persona praesens), omnes habitu gestuque suo suscepti profundam gravis officii demonstrantes conscientiam.

Interea vultu solemnii appetet ab omni contubernio nauta, nitidatam gerens cortinam, qui diribitorum ingressus, in ordinem, secundum contubernii sui numerum, cadit. Omnes postquam convenerunt, gravi facta intermissione, brachio classiarium craterem movet.

— « Accedat contubernium Primum », — inquit promus, et fortis procedit ignium curator, in quo Primi contubernii spes sita est omnis.

— « Sextarii octo », — addit promus, et octo sextarii, superflua cum aspersione felici, trulla rite hauriuntur ad ignarium fortē, decidere numero Secundo festinantem.

Reversus in contubernium ipse suum, praesidi pretiosum tradit onus, qui prae-

se ponens cortinam, singulos ad siceram hauriendam vocat contubernales, assignatam promens unicuique heminam, quo facto, cum illa conscientiae sibi probitatis specie, quae peractum narrat officium, ad suam assidet coenam. ...

(Ex art. H. E. Melvin in diario *Daily Mail*).

II.

## ÆRONAUTA NONAGINTA IN HORA PASSUUM MILLIA EMETIENS, RESARCIT MACHINAM.

Ut laborantem currum suum sublimem reficeret, Sydney F. Anderson faber primarius, nonagenorum singulis horis milium passuum obnoxius procellae, inferius descendit in planum.

Una hora et dodrante quum in hoc praecipi loco mansisset, damna sine dubio talia sarsit, ut totam servaret machinam. Quo facinore nummum fortitudinis insigne meruit Andersonius.

Initium fuit periculi, quum ea quae ad naphtam spectabant praelio cum hostibus aereis incepto, magnopere corrumperentur.

Quibus emendatis, Andersonius praefecto suo renunciavit: infervescere vehementer machinam a laeva parte.

Ut machina servaretur, aquarium oportuit meatum sarciri, quod effici, nisi a plano inferiore, haud poterat. Minime cunctatus Andersonius, eo habitu, quo dictus est, una hora et dodrante permanis.

(Ex diario *The Chicago Tribune*, Parisiis edito die 3 m. Maii 1918).

Tornoduri in Gallia.

IACOBUS TASSET.

Studia, quae sunt in adolescentia, tamquam in herbis significant, quae virtutis maturitas et quantae frugis industriae sint futurae.

CICERO, *Pro Cael.*

## FRANCISCUS SALVATORE-DINO

De hoc viro, qui humilis quoad vixit, licet meritis clarus, *Portici*, in oppido apud Neapolim, pie et obscure e vita migravit d. xvi superioris mensis Iulii, memoriam revocare in nostro commentario eo maiori iure convenit, quod laboris nostri studiosus, imo etiam particeps nonnunquam fuit.

Ferdinandi filius, iuvenis admodum ad litterarum et antiquitatis studia se contulit, tamque in iis profecit, ut vix undeviginti annos natus, quem ad periculum accederet, ut in archaeologicam Pompeianam scholam admitteretur, dissertationem graece scriperit, quae vernacula Italorum lingua esset proposita.

Serius, maiore animi contentione in antiquorum scriptis perquirendis atque interpretandis operam defixit, fuitque civilium archivorum custos renunciatus, et Neapolitano archivo tamquam bibliothecarius addictus; quo fungens munere magnam vitae partem exegit, operamque praestit longe lateque perquisitam ac laudatam. Ad eum enim confluabant quotquot codicis cuiusvis explanandi difficultates haberent, quas ille, qui septem linguas apprime callebat, summa peritia et facilitate enodabat.

Praecipue vero Graecae et Latinae linguae scientissimus erat, in quibus affirmari potest nullum exstisset auctorem, qui sibi haud familiarissimus esset.

Hisce cum ingenii viribus lectissimas animi virtutes coniunxit. Familiam dilexit, ac praesertim sorores; quibus, parentibus vita functis, sese devovisse dixeris; amicos magni fecit, iisque in omni re opitulari contendit; et a Deo omnia repetens, integer vitae scelerisque purus, aetatem omnem annorum trium supra septuaginta transgit suique magnum desiderium reliquit.

Vale, anima candidissima, in pace!

I. F.

## ANNALES

## Europaeum bellum.

Contra oppugnationem huc illuc a Germanicis in Galliam inlatam, quam in superiore fasciculo recensuimus, Galli, viribus suis coniunctis cum agminibus a civitatibus septentrionalis Americae missis, inter Oise et Aisne flumina vehementer, nec sine felici exitu, reluctarunt, dum Anglis ad meridiem Somme fluminis prospere satis res succedunt. Ecce autem novum impetum hostes moliuntur ad Matronam flumen, a Dormans ad Massiges oppidum, eumque, non, solito more suo, disseminatis viribus, imo vero ad centrum propulsis, quod, velut arcus vertex, Remorum urbem esse iterum apparat. Rationes tamen suas hic falso Germani subduxerant; non enim belantes socios sibi acerrime obsistentes periclitantur, sed, brevi, contra ipsos venientes, qui retro cedere coacti sunt: a Matrona primum flumine, castrum Thierry atque Dormans amittentes, deinde ab Ourcq flumine, Neully, Fere, Oulchy viciniaque oppida derelinquere impulsi, ad Vesle oras usque, ubi patriae terrae Augusta Suessounum restituenda fuit, denique ad laevam Avre ripam, ubi Fismes urbem perdidere. Hodie Amiens ab hostili dominatione liberata nunciant et ipsum Montidier oppidum, Teutones licet id solo aquaverint.

En igitur tantae pervicaciae totque effusi sanguinis utilitas!

Itali, post recentem in Austriacos victorię, maxime intenderunt ut eius fructus solidarent. Colles igitur Ruber, qui dicitur, et Echele redempti fuere, omnesque terrae inter Sile et Plavim flumen ab hostium occupatione sunt purgatae. In Albanensis quoque regione sunt progressi, ibique Fieri, Cafa, Giava, Corseof, Berat denique oppida occuparunt, effeceruntque ut

Austriaci loca inter Semeni et Voiussa flumina deserenter.

Neque silentium praeterendum est facinus Vindobonae a velivolis nostris actum, quae, septem numero, a statione sua ad Italiae fines profecta aëreumque iter quingentorum circiter passuum milium emensa, ad Austrorum urbem caput pervenire, non quidem ad serendam mortem, sed ad ruentis horae monita per innocua foliola in civium mentem revocanda. Mirabilis equidem latini animi virtus! Qui ad humanitatis specimen proferendum in medio hoc terribili bello, quod divina et humana cuncta permiscuit eoque vecordiae processit, ut nemo unquam mente concipere valuerit, in mortem generose ipse obvertit, cum eaque conseruit singulare certamen! Pro meritis faciet hostis singularem hunc bellicum actum?... Nisi ille, quisque profecto per terrarum orbem nobilem gerit animum, quanti res fuerit aestimabit; in suasque paginas historia referet.

## Russicae res.

Civile bellum cum horroribus et delictis suis in Russica regione longe lateque furit; dumque Ucraina nova civitas in administros suos, Teutonum clientes, rebellat, Siberiana et ipsa regio sui iuris sese edicit, et ab omni nexu cum reliquo imperio solutam. Inde factum est, ut tum ad Germanorum potentiam coercendam in dies praepollentem, tum ad ordinem aliquem restituendum, Iaponicum imperium, quocum et Anglicae, Gallicae, Italae Americanaeque copiae proxime coniungentur, agmina sua in Siberiam miserit, Sociorumque exercitus Murmanicam in regionem descenderit. Interim qui tristis nuncius mendacii arguerunt, Nicolaum, quondam Caesarem, a *bolscevikis* illis fuisse nefarie interemptum, est heu!, contra, firmiter roboratus. Tum autem pietas

sancitissimi Christianorum omnium Parentis, Benedicti XV, splendidissime iterum effusit. Qui sorte commotus infelissimae reginae insoniumque quatuor filiarum - (regni enim puer heres et ipse vita functus, licet morbo, videtur) - vehementer institit, ut miserae illae mulieres a patrio quandam solo incolumes demittantur; quinimo et sese promptum ac paratum exhibuit ad ipsas, decore, sumptuque suo alendas.

O Christi caritatis triumphi!

\*

## Legationes apud Apostolicam Sedem restitutae.

Inter tot Summi Patris et Pontificis sollicitudines et angores non parvum profecto eius animo gaudium attulit, fuisse legationes et apud Lusitanam gentem et apud Sinarum rempublicam feliciter restitutas; imo etiam alteram hanc his tantum diebus creatam. Quod felix, bonum, fortunatumque sit!

\*

## Regia funera.

Die III superioris mensis Iulii, Constantinopoli, diem obiit supremum Turcarum rex Mahumetus, huius nominis quintus. Natus erat die III Novembris MDCCXLIV, et in locum fratris Abdul Hamid, e regno depulsi, ad summa imperii elatus die xxvii mens. Aprilis MCMIX per iuvenum Turcarum factionem, quae pro eo reapse rerum gubernacula tenuit.

Vahid Eddin, regalis princeps, defuncto nunc successit.

Idibus Augustis MCMXVIII.

POPULICOLA.

*Perfer et obdura; dolor hic tibi proderit olim:  
Saepe tulit lassis succus amarus opem.*

OVIDIUS.

## ROMA SACRA

## Commissio Pontifícia ad Codicis Iuris Canonici canones rite interpretandos.

Dubia varia in plenariis coetibus dd. 2-3 mens. Iunii 1918 soluta.

De irregularitatibus aliisque impedimentis (Lib. III, Pars I, Tit. VI, art. II). – 1) Utrum ad sensum can. 987, n. 5, impediti sint qui ad militiam forsan vocabuntur, sed de facto nondum sunt vocati, vel quia aetate impares sunt, vel quia, examine recte peracto, ad tempus inhabiles sunt declarati (Can. 987, n. 5). – Et quatenus negative; 2) Utrum praedicti non solum ad primam tonsuram et minores Ordines, sed etiam ad maiores licite promoveri possint, servato tamen, quoadusque hoc bellum perduraverit, Decreto *Ut ius certum*.

Resp: Ad 1<sup>m</sup>: Affirmative.

Ad 2<sup>m</sup>: Provisum in primo.

De matrimonio (Lib. III, Pars I, Tit. VII).

I. – Si quis reclamet ius suum ex sponsalibus valide contractis contra partem inituram matrimonium cum alio, matrimonium eritne suspendendum usque dum actum fuerit de iusta causa dispensationis priorum sponsalium et de damnorum reparatione, si qua debeatur? (Can. 1017, § 3).

Resp.: Negative, seu non amplius admitti actionem de iusta causa dissolutionis sponsalium; actionem vero reparationis damnorum non suspendere matrimonii celebrationem.

II. – Utrum actio reparationis damnorum, de qua in can. 1017, § 3, pertineat ad forum ecclesiasticum, an ad civile.

Resp.: Actionem reparationis damnorum, de qua in can. 1017, § 3, esse mixti fori.

III. – Si sponsa vel sponsus inveniantur ignari doctrinae christianaee, eritne locus eos respuendi a matrimonio, vel differendi matrimonium usque ad instructionem? (Can. 1020, § 2).

Resp.: Parochus servet praescriptum canonis 1020, § 2; et dum ea peragit quae

Codex peragenda praescribit, sponsos ignorantes sedulo edoceat prima saltem doctrinæ christianæ elementa: quod si renuant, non est locus eos respuendi a matrimonio ad normam canonis 1066.

IV. – Si pars post adeptam pubertatem plus quam per sex menses commorata fuerit in longissimis et dissitis oris, a quibus ut habeatur regularis attestatio libertatis status longius tempus requiritur, quum tamen urgeat celebratio matrimonii, sufficit ne in casu ad certiorandam libertatem status iuramentum partis cum testimonio duarum, vel si non possint haberi duo, saltem unius, qui secum commorati fuerint illis in regionibus? (Canon 1023, § 2).

Resp.: Rem remitti prudenti iudicio Ordinarii, qui alias probationes, non excluso iuramento suppletorio, praescribere potest, ad normam can. 1023, § 2.

(Ad proximum numerum).



## VACUI TEMPORIS HORA

Mentem ne unquam, lectores mei, advertistis in **capitis**, quibus vulgo populi utuntur, **tegumenta**? Numne quaestionem vobis propositis, utrum libido aliqua, an iusta atque rationabilis causa ad hanc vel illam formam pileorum intenderit? Evidem nunciare vobis hodie possum rem in tuto positam, et – incredibile dictu! – ante bellum quo circumagimur, a Germanico clarissimo viro, cuius tamen nomen latet. Quamquam non id mirum; quid enim Germani invenerunt, quin generosissime summaque humanitate ac modestia volentibus nolentibus dispergirent? Probata igitur ab acutissimo ingenio illo est, inter pileorum tectorumque figuram intima conexio; scilicet homo eadem ratione caput obumbrat suum, qua domum suam operit. Quid?... Nugas ille egit?... Attendite, ac nisi persuasum vobis habueritis, largitionis premium repetatis.

Mercurius, qui antiquissimus pileatorum est recensendus, petaso effingitur rotundo laminisque distentis: atqui huiusmodi forma ad unguem refert antiquarum domorum operimenta.

Ferae sylvarum gentes paleis iuncisque casas tegunt, in coni figuram aptatis; identem capita, herbis et paleis. Quod si tecta indigenorum Coreanae regionis aedificiorum cum regali pileo illic comparaveris, singularem pariter similitudinem invenies.

Medio, quod nuncupamus, aevo, matronae textilibus pinnatis sericisque zonis caput concinnabant alte dispositis. Nonne huiusmodi ornatus castella revocant, in quibus splendide illae vivebant?

Hispanus petasum gerit, qui ad oculos usque demissus antiquarum apprime refert domorum imaginem, quas in omnibus Iberiae oppidis facile est invenire.

Turcae sua fasciarum tegumenta ostentant, quae tholos Saracinarum templorum ad amusim, iuxta nostrum, reddunt.

Nostri temporis vero Europae homines, qui inter miracula artis industriaeque vivimus, haud aedium tecta pro pileis imitati sumus, sed praeter voluntatem pileos aptare nobis coepimus, cuius forma temporum cum spiritu, quem vocant, componeretur. Ita turritus ille galerus, qui late, apud optimates praesertim, est in usu, refert...

— An igniferarum catapultarum imaginem?

— Minime gentium; namque ab Germano viro non est inventum; sed ab Anglo; ideoque ad fabricarum camini instar sese extollit.

\* \*

Quo res magis in aperto siet, liceat nobis, qui sagaci Germanorum subtilitate necquicquam gloriamur, eiusdem **turriti galeri originem** ulterius repetere, quae Ioanni Hetherington, Londinensi mercium venditori, debetur.

Qui quidem anno MDCCXCVII, quo in se civium oculos facilius converteret, quadam die huiusmodi galerum gerens, altum, lucidum

et fere monstruosum, prodit per urbis vias, viatorum turbam post sese trahens profecto, sed cachinnantem, eique irridentem veluti mente capto. O miseram quorumdam inventorum sortem! Ioannes a publicis ordinis custodibus in vincula detruditur, reus factus est, poenaque turbati ordinis est multatus. At galerus ab eo inductus nobiliorum capitis tegumentum est factus, lateque viguit, vigetque adhuc.

\* \*

## Ioci

Studiorum regius inspector Tuccii scholam visitat, quumque apud eum pervenerit, eum interrogat:

— Atque tu, ut te geris?

— Optime.

— Scilicet nullam unquam poenam sumpsisti?

— Babae! Callide semper memet eximere valui!

Tuccii meditatio ante psittacum:

— O animal singulare! Loqui enim scit; at, licet tot pennis abundans, scribere nescit!

## Aenigmata

(a socio A. MORCHIO proposita).

I

*Altera* vocalis; qua incedimus *altera*; fluxa  
Quae persaepe nocent, *coniunctae* sunt bona  
[partes.]

II

Nomina praegreditur *prima*; est soror *altera*  
[patris.]

Partes iunge: abavi denique *summa* soror.

(Aenigmata in superiore numero proposita his respondent: 1] *Dapes*; 2] *Felis*.)

IOSFOR.

.....

*Fortiter ferendo vincitur malum, quod evitari non potest.*

PLAUTUS.

## AD "CARCEREM,"

6)

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA IN DUAS PARTES DISTRIBUTA.

Possit quid in mentem venire pessimum?  
Audent, pertantant, moliuntur omnia,  
Ab ipsis flammis aedium vix abstinent,  
Fugae viam quamdam muniant dummodo.  
Nunc igne tentarunt, nunc ferro et facibus.  
Isti quam parvulis mali sunt furciferi!  
Dormitatores dormiunt qui interdiu,  
Ut noctu possint vagolari liberi.  
Et sunt zonarii, sectores zonulae,  
Raptore vulgo dicimus marsupii.  
Sed improvviso semper opportunior  
Adest et impiger vester Ambrosius!  
A flammis aedes solus sic eripui.  
Et hic? ... Gloriosum dicam vaniloquum?  
Praesumit horum superbiam frangere?  
Mecum fuisset olim contra barbaros  
Ipsius nec unum barbae traxisset pilum!  
Haud isto tempus caret nunc auxilio....<sup>1</sup>  
At, at, ... quod silentium sentis in aedibus!  
Stupesco! Mirum! Quid? Probe! Quid con-  
[tigit?]  
En audio! Loqui me audire videor....  
Ita est!<sup>2</sup> Quid dicit? Audio nam sonitum  
Vocis, sed verba, verba non intelligo....  
At omnes circum stant silentes avide,  
Et ipsi vigiles, ferula seposita,  
Stant, audiunt omnes ambabus auribus....  
Adhuc foris si tantum, quid in sacrario?...<sup>3</sup>  
Eunt silentes, nec strepunt ut antea  
Fulmentis solum plectentes et soleis,  
Edant ut circiter clangorem pedibus;  
Sed vultu nubilo, dolore pallidi  
Sequuntur supplices, modesti, insoliti.<sup>4</sup>  
Ut audiam quidquam, quid fecissem nescio..  
Adest et ipse Rector tremiscens artibus...  
Sunt omnes vigiles custodes taciti,

Ipsius nescii tremendae ferulæ...  
Deus, quæ rerum subita mutatio!  
Adhuc quis aedes noscitarer tristium,  
Ubi severis puniuntur legibus  
Puelli pravo probrosoque ingenio?  
Iam capulatos nominaris admodum,  
Agunt qui magnis culpis poenitentiam!  
Et id perfecit ipse vir facillime,  
Dedit nuperius nobis quem Dominus.  
Erant haec sancta prorsus exercitia,  
Quibus propediem vocabantur strenue...  
Ego et labores heu! putabam militum,  
Olim quos in campo Mavortis feceram.  
Scio saluti quid meae pol! proderit.<sup>1</sup>

## SCENA VIII.

AMBROSIUS, et postea MILITES,  
qui manuducunt PUPERUM arcendum.  
Quid est? Qui me molestat? Novi sunt iuvenes  
Manu perducti, fures vel nefarii,  
Noti per sanguinem vel latrocinia...  
Enim sunt omnes huiusmodi furfuris.  
Erunt si crescent isti quid in posterum?  
Restat ut restis ipsos faciat pensiles.<sup>2</sup>  
I. MIL. Eum prehendi dum furatur alacer!  
II. MIL. E gradu in gradum fiet perfectissi-  
[mus]  
AMBR. Advenit, ecastor!, opportuno tempore...  
Nam praedicat vir omnium sanctissi-  
[mus...]

Quae verba!...

I. MIL. Verba? Verbera at mastigia!  
 II. MIL. Et horum virgis flagellanda tergora.  
 I. MIL. Et refricato sufficit vix vulnere,  
 Eorum dura sunt flagellis coria.  
*(Ad proximum numerum).*

<sup>1</sup> *Auscultans.*

<sup>2</sup> Ex parte interna invenum strepitus: Io! Io! auditur, cum laetitiae vocibus.

3 *Observat tacitus.*

<sup>4</sup> *Silentium fit, et postea e longe auditur identidem hymnus VENI, CREATOR SPIRUS.*

<sup>1</sup> *Auditur sonus tintinnabuli.*

<sup>2</sup> Aperit et introgrediuntur duo MILITES cum PUERO.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor.*

**ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.**